



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam  
emissæ. In Deuteronomium**

**Bugenhagen, Johannes**

**Basileae**

**VD16 B 9247**

Capvt XVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36133**

ias, Hieremias. Oseas, ne eò pergant auxilium sperantes.  
Lex est, ne erepti sanguine Christi agni immaculati  
& spiritu dei quasi columna ignis & nubis ducti &  
traducti per mare rubrum baptismi, redire uelimus  
ad regnum tenebrarum &c.

Subleuatus quasi sperās Aegyptios sibi subigēdos.

## Deuteronomium.

Vtinam nostri principes (qui à Papistis hodie seducti  
cæci damnant quod non uident) hoc hodie observa-  
rent ut legerent legem domini & uerbum dei sui. Ni-  
hil boni iudicabit princeps qui & ipse non sapit ex  
deo, sed pēdet ex aliorū solū sentētijs, ut diximus c. 1.

A sacerdotibus &c. ] ne incidat i corruptū exēplar.

Nec eleuetur. Digna lex, sed lex manet lex ubi  
nō adest spūs. Digna uox principe quā dixit Gedeon.  
Nō dominabor, inquit, uestri, nec dominabitur in uos  
filius meus, sed dominabitur uobis dominus.

Neq; declinet ] scilicet iudicando, ut supra.

Vt longo. ] quemadmodū Dauid. Contra abstulit  
deus & reges & regnū, qā cōditio nō est seruata &c.

## CAPVT XVIII.

**D**E ista hereditate sacerdotum & leuita-  
rum supra cap. 10.

Hoc erit ius &c. Optima dat sacer-  
doti ne contēnatur eius ministerium, cui

alioqui uix pedem cupiditas humana dedisset, nō tanq̄  
 ministri q̄ dei contemptu. Videamus quid lex signifi-  
 cet. Sacerdos est minister uerbi, is per ministerium su-  
 um, id est uerbum prædicatum, aufert à nobis armum  
 dextrum, id est, opinionē nostrarum uirium & bono-  
 rum operum, & duas maxillas, id est, prædicationem  
 nostræ iustitiæ, & pectusculum siue uentriculū, id est  
 fiduciam nostræ iustitiæ & omnē carnalem sapienti-  
 am, ut omnia nostra auferat uerbum dei quæ aliquid  
 quasi diuina esse uidebantur, quibus ablatis non inue-  
 nimus nos aliud q̄ peccatores, ut discamus ex solo deo  
 pendere. Huc pertinet q̄ & Leui. 3. sanguis, id est uita  
 effunditur domino, ut supra dictum, & quicquid est  
 pinguedinis unde fortificatur caro, id est ille Adam,  
 & renes cū reticulo iecoris, id est affectus omnes cre-  
 mantur domino in odorem suauissimū. Aduerte q̄ hic  
 ex Heb. deest latinis. Duas maxillas, Et uictimas intelli-  
 git hostias pacificas. Tonsione] scilicet prima.

Ut stet & c.] Ministris datur non alijs.

Sucessione.] Successor erat leuita paternorū bo-  
 norū, sed cū alijs fratribus Israëlitis non habebat para-  
 tem, ut dictum est.

Quando ingressus & c.

Hæc esse contra primū præceptum quis nō uidet? Et  
 addit, q̄ quia Cananæi talia deo abominata faciūt, pe-  
 ribunt manu dei ingredientibus Hebræis in terrā co-

rum, ut hic Hebraei non solū præcepto, sed etiā hor-  
rendo exemplo terreantur ne talia uelint. De lustra-  
tione per ignē diximus supra ca. 12. Omnia uero quæ  
hic prohibētur impius Manasses fecit. Saul quoq; per  
Pythonem à mortuo quæsiuit ueritatem, certe à diabo-  
lo, id est, personato Samuele, quemadmodū ex demo-  
nibus quasi animabus defunctorū saepe nostri quæsie-  
rūt ueritatem. Hinc tam multa pro defunctis frustra  
fiunt. Misit deus operationem erroris, quia dilectionē  
ueritatis non suscepimus. Simili loco habendæ sunt  
quas uocant sanctorū reuelationes. Contra præceptū  
hoc dei illa omnia suscepimus, ergo fuerunt signum  
diaboli. Sicut olim deus uoluit, ut se solum audirent,  
Ita & nunc clamat è caelis super filium dilectum, Ip-  
sum audite. Quid ergo seductionibus diaboli, pseudæ-  
postolis, id est, demoniorū doctrinis, mortuorum re-  
uelationibus credimus contra manifestum dei uerbū?  
Esa. 8. ex hac lege sic dicitur. Et cum dixerint ad uos,  
querite à Pythonibus & à diuinis qui strident incan-  
tationibus suis. Nunquid non populus à deo suo requi-  
ret uisionem? pro uiuis à mortuis? Ad legem magis &  
ad testimonium. Quod si non dixerint iuxta uerbum  
hoc, non erit eis matutina lux &c. Vulgus infidele à  
talibus crassis superstitionibus & impietatibus ne ho-  
die quidem abstinet.

Perfectus esto & absq; macula.

Quæadmodū & Christus dicit, *Perfecti estote sicut & pater & c.* Per quã legem exponitur id quod supra diximus *de mundis & immūdis.* Item, q̄ animal habens maculam & defectum deo non debet offerri.

Augures & diuinos audiunt. Ergo nihil audiendum nisi merum uerbum dei, qui aliud admittunt gentes sunt & Cananæi, non frustra ergo Paulus doctrinas pseudapostolorum, quarum hodie sunt omnia plena, uocauit doctrinas dæmoniorū in hypocrisi loquentium mendacium & cauteriatam habentium conscientiam & c.

De obseruatione somniorū dicit, non de reuelatione dei in somnijs. Nam obseruantes somnia uidēt & sibi fingunt interpretationes quibus & credūt & credi uolunt, quæ non possunt esse nisi mendacia, ut omnia quæ excogitant homines & fingunt, quæadmodū enim meri somniatores sunt qui iustitiã prædicāt quã ex uerbo dei non nouerunt, ita & illi qui crassis somniorum erroribus seducuntur & credunt. Quibus uero reuelatur à deo uident quidem somnia, sed ipsi ex uisibilibus non interpretantur quod eis placuerit, nam & ipsa interpretatio eis reuelatur à deo. Alioqui somnia etiam à deo immissa frustra uidentur, quemadmodum frustra uidisset Pharaon, frustra Nabugodonosor, nisi deus reuclasset Ioseph & danieli. Ideoq̄ Daniel dicit, *Intelligentia opus est in uisione.* Sic & angelus

in Luca loquitur Ioseph, loquitur Magis i somno, sed  
reuelatione dei didicerunt eum qui apparuit esse an-  
gelum dei &c.

### Prophetam.

Non dubium nobis ex interpretatione Petri Act. 3. &  
Stephani Act. 7. hunc prophetam, id est, prædicatorē  
uerbi dei esse Christū, id quod uidetur populo in Euā-  
gelio dum prophetam magnū sæpe uocat Christum.  
unde constat & singularem aliquē prophetam tunc  
ex hac scriptura expectatum. Potuisset uideri hic pro-  
pheta Iosue, cui dicitur Iosue. 1. Sicut fui cum Moise  
ita ero tecum &c. sed scriptura nullum prophetam fa-  
cit similē Moisi id quod tamen bis hic dicitur de pro-  
pheta suscitando. Sicut, inquit, me, & similem tui. Moi-  
sen cæteris prophetis longe præferri uides, Num. 12.  
& ne quis hæreret in Iosue scriptura in fine Deute-  
ronomij clare ostendit, de Iosue hæc non posse intelli-  
gi. Sic enim ait, Et obedierunt Iosue filij Israël, fece-  
runtq; sicut præcepit dominus Moisi. Et non surre-  
xit propheta ultra in Israël sicut Moises &c. Præter-  
ea iubetur & ipse Iosue Moisen audire. Cū ergo iube-  
beat dominus in Mose hunc prophetam audiendum,  
clarum euadit Moisen esse audiendum usq; ad hunc  
prophetam. Nam reliqui omnes propheta clamabant  
Moisen interim audiendum donec ueniret, de quo  
prædicebat, Christus, per quem (sicut Moises scripse-

rat) promiserat deus benedicendas cunctas cognationes terræ. Huc pertinet quod Christus dicit, Si crederetis Moysi, crederetis et mihi. De me enim ille scripsit. Item, Scrutamini scripturas, illæ enim testimoniū perhibent de me. Duos iussit deus audiri Moysen et Christum. Propheta post Moysen fuerunt interpretes Moysi, et prædixerunt spiritu dei inspirati de futuro propheta et benedictore omnium gentium sicut et Moyses usque ad Christum, quia lex (ait) et propheta usque ad Ioannem etc. At ubi Christus uenit locutus est nobis deus in filio qui per semetipsum, non per alia, ut Moyses purgatione peccatorum facta sedet in dextera maiestatis etc. Heb. 1. Idcirco et Moysen et Christum è caelis coram populo iussit audiri deus, illum in monte Sina, hunc adfluenta Iordanis. Propheta prædicauerunt legem et prædixerunt gratiam reuelandam. Apostoli prædicant legem per Christum impletam in omnibus quotquot Christum suscipiunt iam mundo exhibitum. Sunt igitur tantum duæ prædicationes, legis scilicet et Euangelij. Legis prædicatio nihil est, nisi de Christo quoque prænunciet, quemadmodum fecit Moyses et propheta. Hinc facile deprehendes pseudopropheta, quem semper audis legem prædicare, ita ut nihil uideatur dicere præter uerba dei, et tamen de Christo non prædicat, Christum nunquam prædicat iustitiam nostram, hic pseudopropheta est, Deus non misit illum. Nam in

intelligit uiribus nostris legem posse impleri & nos per legem iustificari, qui est error & seductio pseudapostolorum, qui dum uerbum dei uidentur habere non habent, Docent enim in ipsa lege quod lex prohibet, scilicet ut confidamus uiribus nostris, aut gratiam adscribamus iustitiae nostrae. Quod si sic habet res de ijs qui sola uerba legis uidentur praedicare, Planum est reliquos stercoreum humanorum traditores ne dignos quidem esse de quibus uerba fiant.

Prophetam dicit.] Nam audiri eum uult. Unde tam multa dicit saepe Christus de uerbo suo. Qui uerbum meum audit &c. Qui diligit me &c. Et ut uerbo crederetur fiebant per Christum miracula quae nemo alius facere potuit, praeter hoc & inimici quoque saepe sentiebant in ipsis etiam uerbis uirtutem diuinam, quem admodum aiunt serui qui missi erant, ut caperent Iesum. Nunquam sic homo locutus est &c.

De gente tua, id est, ex semine Abrahae, Ro. 9. &c. Ut petisti &c. Sine mediatore non potuit populus agere cum deo, Mediator ergo tunc erat Moyses, ut supra dictum, sed hic mortalis erat, expectabatur ergo aeternus, per quem populus audiret non solum redemptionem, sed & acciperet.

Et ponam uerba.

Id quod Christus dicit, Ioan. 10. Quia ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me pater ipse mandatum

dedit mihi quid dicam aut quid loquar. Et scio quod mandatum eius uita æterna est, quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi pater sic loquor. **Utor.**

Iudicium hic uident Euangelij contemptores, ut non dicam de blasphematoribus & persecutoribus, percutiuntur horrenda cæcitate & projiciuntur in æternum à deo quantacūq; specie coram hominibus fulgeant. Nam sanctam speciem nihil moratur hæc lex, sed simpliciter uult audiri Christum. Qui uerba Christi contemnunt & tamen sanctitatem ostentant, sunt cõsortes illorum qui dicunt, Aue rex Iudæorum.

#### Propheta autem.

Ita semper actum est ut pseudoprophete non defuerint ubi ueri prophete fuerunt, & pseudapostoli ubi ueri apostoli fuerunt. Sic deus aduersarium habet diabolum, in ipso etiam paradiso, & Christus Antichristum in ecclesia sanctorum, ut nõ speremus in hac uita tranquillitatem. Propheta pius non sua quærit, sed quæ dei sunt, Impius autem sua quærit. Itcirco elegantissime eum describens, dixit, Arrogantia deprauatus. Is siue in nomine domini siue in nomine diaboli uelit uideri suum officium agere, nihil refert, dum docet ea quæ deus nõ præcepit illi ut diceret, Hic à diabolo est & habet doctrinas dæmoniorum, etiam si omnia dei sacra & omnem ex deo autoritatem se habere dixerit, Væ hic omnibus traditionibus humanis.

Q<sup>3</sup> si tacita.

Vide exemplum. Hiere. 18. de Anania. Et. 3. Reg. 22. de Sedechia & alijs. Sed quid si in longinquum prædixerint, ut Esaias & alij? Respondeo, Illi ipsi etiam quedam prædicunt non in longum tempus. Certum ergo signum est mentitum esse prophetam, qui certo tempore prædixit quod nõ uenit eo tempore. Sed nõ est certũ signũ si euenit qd' prædixerat propheta, ut supra dictũ ca. 13. In sola ergo doctrina & hic & illic certũ signũ habes ex uerbo dei, quẽadmodũ & Christus dicit. Ex fructibus eorũ cognoscetis eos. Videtur boni prophete in uestimẽtis ouium dũ ueniũt, sed ubi negociũ cœperint agere docent ea quæ eis non sunt præcepta, & sub noie domini incipiunt à dei iustitia corda imprudentiũ auertere. Probãdi ergo sunt spūs num à dco sint & c. De tali, præter iudiciũ q. debet interfici, quæ interfectio apud nos est excõicatio, ut supra diximus, & hoc additur, Nõ timebis eũ, etiãsi maledictiones dei oēs tibi minatus fuerit, etiãsi te excõmunicauerit, etiãsi in animo teteris talẽ maiestatem & tantã sanctitatẽ quæ apparet nõ esse contẽnẽdã & c.

## CAPVT XIX.



Ista lege ciuitatũ refugij uoluit dominus consultũ innocenti homicidiæ, magis uero & alijs qui ob innocens homicidium